



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Formula alia eiusdem generis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

## Formula alia eiusdem generis.

**C**Arolus &c. Superioribus proximis diebus necesse habuimus Reuerendiss. D. Hieronymi Episcopi Laudensis Prouincialis nostri opera, industria, consilioque uti; cum ad alia quaedam certa grauiorque negotia, tum verò ad fori Metropolitanani nostri reformationem. Quam ob rem ad nos eum literis & nuncijs euocauimus. Cum verò ob eam causam, atque ob inualeitudinem etiam suam, ab Ecclesia sibi commissæ statione quinquaginta ipsos dies abfuerit: nos & illius absentiam, & absentiae causam, harum literarum auctoritate comprobamus. In cuius rei testificationem, his, sigillo Archiepiscopali S. Ambrosii obfignatis, nos manu etiam nostra subscripsimus. Dat. &c.

## Formula facultatis pro Ecclesiasticis commoran. extra Diocesim ob aliquam causam.

**C**Arolus &c. Dilectonobis in Christo Reueren. Presbytero N. nostræ Mediolanen. diocesi. salutem in Domino. Precibus Reuerendiss. D. Episcopi N. comprouincialis nostri annuere volentes, Tibi, qui suæ Ecclesiæ inseruire cupis, vt extra hanc nostram diocesim per annum commorari liberè & licitè possis, concedimus; Teque insuper non excommunicatum, suspensum, interdictum, aliove Ecclesiæ censuræ vinculo irretitum esse hoc tempore (quod quidem nos sciamus) omnibus Christi fidelibus per presentes testatum facimus. In quorum &c.

## Formula literarum absentiae causa studij intra diocesim.

**C**Arolus &c. Tibi N. diacono, canonicatum obtinenti in Ecclesia S. N. harum literarum auctoritate facultatem damus, vt ab ea Ecclesia, in qua residere, cuique inseruire debes, abesse liceat causa studij, cui in vniuersitate Braiensi Mediolani operam nauas. Hanc autem facultatem per annum tantum tibi suffragari volumus his conditioni-

bus. Primò, vt vbi has absentiae facultates literis nostris acceperis, R. D. N. prefectum studiorum vrbs conuenias, & prefectum item regionis in qua domicilium habes, vel habiturus es, & illis huius facultatis exemplar exhibeas: tum vt quamdiu hic fueris, ad nostri concilij prouincialis primi præscriptum bis in singulis mensibus, vni ex iis Sacerdotibus, quos ad clericorum confessiones audiendas constituimus, peccata tua confessus, sacram Eucharistiam intra missæ maioris solennia in ea Ecclesia sumas, cui adscriptus es, vel iussu nostro adscriberis: tum etiam vt tonsuram, habitumque clericalem nostris conciliaribus decretis tui ordinis præscriptum domusque deferas: tum præterea vt diebus festis & solennibus frequens intersis solenni missæ sacro, & vesperarum officio, in Ecclesia quam tibi præscripserimus; in qua etiam functiones pro sacri ordinis ratione quo proximè initiatus es, præstes: Pro habitatione autem, eo loco utaris, quem scripto probauerimus. De his autem singulis præscriptis rebus a te præstitis in singulos menses scriptum testimonium ab eodem regionis prefecto nobis afferas atque exhibeas: De tua verò in literarum studiis progressionem, doctoris quem audis; de morum probitate, parochi intra cuius parochiæ fines habitas, testimonium scriptum atque obfignatum nobis des. quòd si in his tibi per nos præscriptis rebus ipse nulla legitima causa impeditas defueris, has nostras literas tibi nullo modo suffragari declaramus ac decernimus. Dat. &c.

## Formula literarum absentiae causa studij extra diocesim.

**C**Arolus &c. Tibi N. diacono, canonicatum obtinenti in Ecclesia sancti N. harum literarum auctoritate facultatem hanc damus, & concedimus, vt ab ea Ecclesia, in qua residere, & cui inseruire debes, absis liceat causa studiorum, quibus Papiæ in gymnasio publico iam annum operam nauas. Hanc verò facultatem per annum item tibi suffragari volumus his conditionibus: vt decem post diebus, quam illuc veneris,

Reuc-